Beger, Lorenz: Thesaurus Ex Thesauro Palatino Selectus, Sive Gemmarum Et Numismatum Qvae In Electorali Cimeliarchio Continentvr Elegantiorum Aere Expressa, Et Convenienti Commentario Illvstrata Dispositio
[s.l.], 1685 Seite 57

tantùm abeſt, ut Rege. Adeòne generoſos Regiæ Majeſtatis Spiritus intra Palatii ſepta, intra ſatellitum agmina concludunt, qui modo molliorem in ea cultum damnaverant? Adeòne ſui immemores, ſupercilio ſuo ſubjectos arbitrantur, quos Divina Providentia in ſupremum terrenæ poteſtatis culmen evexit? Adeòne omnem Principum curam DEO, omnem in DEUM fiduciam Principibus abjudicant? Non norunt Alexandrum, qui factis ejus inſultant; Quid dignius erat Rege, qui Orbem Terrarum animo conceperat, quàm ſuo Exemplô, militibus oſtendere, quibus artibus hoſtilis pervicacia eſſet frangenda? Noli Alexandrum culpare, ſed militum perſtringe ignaviam, quòd non eodem ardore, quô Rex, in mœnia evaſerint, quòd non eâdem audaciâ in hoſtiles ſe immiſerint exercitus.

Legerat Alexander Homeri Scripta; Græcorum Principes contemplatus erat, non reſides domi, ſed in periculis primos. Hos quidni imitaretur? Imitatus eſt, & in æternam eô factô ſurrexit Gloriam, oſtenditque: Gloriam hodiernos etiam manſuram Principes, ſi non Præfectis ſuis præliorum momenta concredant, ſed ipſi præſentes dirigant, ſi non Ducum tantùm, ſed & militum exequantur officia; Neque enim ſibi Fortitudo periculum creat, ſed ſecuritatem circumponit, exercitûs robur adauget, Inimicos terret, fidem ſubditorum confirmat, tandemque

Candida ſublimi vehitur ſuper æthera curru.

III.

LYSIMACHUS.

AD oſtentandam Virtutum Gloriam Plurimi non propriis, ſed alienis utuntur Inſignibus; His autem quid aliud innuunt, quàm eos, quorum ornatum ſibi decorum arbitrantur, longè ſe fuiſſe meliores?

Non inficianda hæc imbecillitatis confeſſio eſt; Inter homines tamen non toleranda tantùm, ſed inſuper fovenda. Ubi Virtus, ſi Virtutum fomitem tollas? Ubi Virtutum fomes, ſi Gloriam? Ubi Gloria, ſi humanarum

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/beger1685/0075
gefördert durch die Gesellschaft der Freunde Universität Heidelberg e.V.